



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Alia Copia litterarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

nostram Parochianus Presbyter, & suam partem obtineat, vnde in celebranda populi Synodo Archidiaconum suscipiendo honorifice pascat: Reliquas vero partes Abbatissa & pauperibus, in hospitali fideliter distribuat, hoc indicio sancti Spiritus affirmantes sancimus, hoc autoritate Banni nostri, ne villa persona hoc mutare presumat, corroboramus.

Et ut pagina huius descriptionis nota sit omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, & inconclusa permaneat & stabilis, hanc chartam conscribi, sigillique nostri impressione iussimus insigniri.

Præterea quosdam fratres, Heinricum Decanum, Purckhardum, Erichum, Meginardum, Hartvicum, Henricum, Dietgerum. Presbyteros, qui videre & audiære, fecimus ascribi & Laicos, Palatinum Comitem, Vdalschalchum de Wallershouen, & alios de familia quam plurimos.

Aetum est, Anno Dominicæ incarnationis 1127. indictione 5. 3. Kalendas Februarij, Honorio Papa præsidente, Lorhario Rege II. regnante.

Sigillum erat omnino corruptum.

Alia Copia litterarum.

INNOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, incarnationis Dominicæ, indictione tertia, 15. Kalend. Octobris, regnante Friderico, Rege glorioſo. Ego Conradus, Augustensis Ecclesiæ Episcopus, licet indignus, in generali capitulo, cum Choro maioris Ecclesiæ, ac sex venerabilibus Abbatibus, ac undecim regularibus Præpositis, ac innumeram multitudine Clericorum iustitiae deuotæ fauentibus; cum Dominus Abbas S. Vdalrici, Heleto & Palatini Comitis in hoc negotio missi Vicarij, contestata lite, per Patronos cauillarum, pro Ecclesia Aichina, aduersus Dominam Abbatissam de Chuebach, Adehaidin cœperunt litigare, volentes prædictam Ecclesiam quasi matricis Ecclesiæ Aichan filiam comprobare. Cæterum, Domina Abbatissa Ecclesiæ prædictæ libertatem ac matrem perse iustitiae firmitate & veritatis tenore credibili testimonio comprobauit. Quorum testimoniū nomina haec sunt: Meinhart, Otto, Dietmar, Conrad; Vdalrich; Hierant Presbyteri, Merbotho Laicus. Ea propter recognita iustitia S. Magni Ecclesiæ prædictæ libertatem confirmamus. Et quicunq; ausu temerario Capituli nostri decretum, irritare voluerit, æternæ damnationis reū excommunicationis perpetuæ vinculis eum innodamus. Signum propria manu nostra subscribimus.

ADDITIONES.

FVndatorem huius Cœnobij (quod à præterfluenteriuo vaccarum vulgo dito, & in flumen Parrum influente nomen traxit) Moniales ex suis vetustissimis monumentis agnoscent Comitem Wittelspanensem Adalperonem, qui post recuperatam è Saracenorum manibus terram sanctam ex voto eo peregrinationem suscepit, relicta domi uxore grauida: ipse in redditu fatis cessit. Nuncio fœbili accepto vidua Alberadis partus dolorib. circu data, cum factu interiit: relicta vnicā ex præmortuo coniuge filia Wilburgi; quæ spretis mundi vanitatib. se suaque omnia Deo contradidit; suorum cognitorum ope consilio condidit: atque in hoc ipso prima Abbatissa Christi miles strenua ad celeste brauium peruenit.

Sublata è medio Wilburgi antistite, successit Adelheidis ex Comitibus Wittelspanensibus progenita. huius in diem hodiernum sub choro Monialium in Ecclesia Monasterij in crypta exigua conspicitur, sepultura cum tali epitaphio lapidi inciso.

Conti-

